



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE *IN FLORENTI NEDERLANDIAE* PAROECIALE TEMPLUM  
EXALTATIONIS SANCTAE CRUCIS, QUOD  
IN OPPIDO «RAALTE» INTRA FINES ARCHIDIOECESIS ULTRAIECTENSIS EXSTAT,  
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – In florenti  
Nederlandiae oppido «Raalte» nuncupato, intra archidioecesis Ultraiectensis fines posito, novimus eminere templum  
paroeciale Exaltationis Sanctae Crucis, quod, ornamentis decorum mirisque artis praestans operibus, centrum est notum  
spiritualis vitae operumque pastoralium et communionis ecclesialis non solum pro fidelibus catholicis eiusdem loci sed  
etiam pro finitimi. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Adrianus Ioannes S. R. E. Cardinalis Simonis, Archiepiscopus  
Metropolita Ultraiectensis, litteris die VIII mensis Aprilis superiors anno datis, etiam cleri populi sui nomine petiverit ut  
eandem sacram aedem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, Nos, paternae benevolentiae signum dilectis  
filiis eius catholicae communitatis cupientes praebere, tam sollertia sacrorum Antistitis precibus libenti animo  
obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam  
ratam habemus, Apostolica summa usi potentate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum paroeciale templum,  
de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus ac liturgicis  
concessionibus, quae Ecclesiis hoc nomine insignitis rite competit, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo  
Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX (Prot. CD 500/89) editum, servanda sunt. Minime vero  
dubitamus quin concessus honor in religionis bonum populi spiritualem in profectum cedat pariterque maius conferat  
decus eidem templo, cuius dedicationis primum saeculare festum hoc anno celebratur. Has denique Litteras sive nunc  
sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum,*  
*sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card.  
SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana*

---